

omnino gratiæ appropinquantis. Nam sicut ante ruinam exaltatur cor; ita ante exaltationem humiliatio. S. BERN. S. XLIV in *Cant.*
Idem dicere solebat, *Cogita de Deo*, quidquid melius potes, et de te, quidquid deterius vales. Cap. VI *Medit.*

Idem dicebat, tres esse humilitatis gradus (aut effectus potius) fructum penitentiae, desiderium iustitiæ, opus misericordiæ.

Fr. Ægidius, audita Fratris Eliæ apostasia (qui erat totius Ordinis Generalis) ad Ecclesiam confugit, arctissimeque pavimento se appressit. Causam vero rogatus dixit: Ego descendam, quantum possum, quod Elias plus æquo ascendendo elisus sit, et turpissime cornuerit. *De grad. Humil.*

DIGNITAS. — Cum Frater quidam senem interrogaret, quis esset profectus hominis? respondit ille: Humilitas. Quantum enim ad humilitatem inclinatus quis fuerit, tantum elevabitur ad profectum. *Vit. PP. libell. xv. n. 77.*

Alius quidam senex interrogatus, quid sit humilitas? respondit: Humilitas est magnum opus et divinum, via autem ad humilitatem hæc est, ut labores corporales assumi debeant. *Ib. n. 82.*

Philippus II, Hispaniæ Rex, in emblemate habuit pilam, in altum jactatam, quæ in humum delapsa resilit, cum inscriptione: *Percussa elevor.* KISELIUS, in *Nilo t. I. c. 5.*
Abbas Pastor dicere solebat, humilitatem esse terram, in qua Dominus Sacrificium fieri mandavit. *Vit. PP. l. V. libell. XXXI.*

Christus B. Birgittæ dixit, humilitatem esse illam virtutem, quæ Deum in cor introducit. *L. VI Rev. c. CXVI.*

Aristenes, teste S. Clemente Alexandrino, dixit, beatitudinem esse fastus vacuitatem. *LANCIZ. opuse. VIII c. II, n. 17.*

B. Virgo, cum commendaret Christo B. Brigitam, ut ei sua dona daret, dixit ei Christus: Qui quaerit sublimia, necesse est, ut prius agat fortia, et exerceat humilia. Ideo tria sunt ei necessaria. Primum est, ut habeat humilitatem, per hanc enim sublimitas obtinetur. *Lib. VII Rev. c. XLII.*

S. Catharinæ Senensi dixit Deus, humilitatis sororem esse patientiam invictam, et hanc patientiam esse medullam charitatis, ac signum evidens, ac aperte demonstrativum, quod anima sit in gratia consistens in Deo, et Deum per gratiam in se habens. *Dial. c. CLIV.*

S. Hieronymus de S. Paula Romana dixit:

Fugiendo gloriam, gloriam merebatur, quæ virtutem quasi umbra sequitur, et appetitores sui deserens, appetit contemptores. *RODRIG. p. II, tr. III, c. XIX.*

Sponsus Sponsæ suæ pulchritudinem laudare volens, a pedibus præcipue eam commendavit, dicens: Quam pulchri sunt gressus tui in calcamentis, Filia Principis. *CANT. VII. Hinc S. Ludovicus Tolosanus dixit: Nilil tam gratum Deo, quam si vitæ merito magni, humilitate infimi simus, cum tanto quis pretiosior sit Deo, quanto vilior sibi. FABR. tom. V, in festo S. Matthiæ.*

Purpura piscis ascendit ad regum ornamentum, ea tamen prius in profundo pelagi quaeri debet, ubi solum invenitur, teste *Picrario. L. II Hierogl.*

Cum humilibus ludit Deus, sicut Joseph olim luserat cum Benjamin, quem initio quasi furem premere ac vincire se velle simulavit, postea vero id totum joco factum ostendit, eumque amplexans cæteris fratribus prætulit. *FABR. l. c.*

S. Chrysostomus ait, laudis despiciantiam esse angelicæ cujusdam animæ, verticis celestis testitudinem tangentis. *Hom. XLIII ad Popul.*

Cum B. Catharina Riccia, dato a B. Virgine in pilas Christo parvulo, quaereret, quid esset agendum, ut placere posset puero Jesu? respondit B. Virgo, Filio suo humiles, et obedientes placere super omnes. *Vit. c. XXXI.*

Sicut unicus est locus, quem sol semel tantum aspexit, scilicet fundus Jordanis, quando Israelitæ transibant; et sicut unicus est dies, quo totus mundus exultavit, quando scilicet Noe cum uxore et liberis ex arca egressus est; ita unica est virtus, quam Diabolus imitari non potest, nempe humilitas. *S. CLM. ap. Drex. Ros. p. II, c. XIV, § 3.*

Humilitas est succulæ, id est, machinæ tractoriæ similis, quæ, quidquid ei affigitur, in altum trahit. *Ibid.*

Dixerat S. Paulus ante Romanis: Quis cognovit sensum Domini? Sed postea eum Philippensibus aperte indicat dicens: Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, etc. *PHILIP. II, 5.*

Male quidem cesserat olim Lucifero, quod voluerit similis esse Altissimo; nunc autem cum tot premiis invitetur, ut fiamus Altissimo similes, scilicet per humilitatem Christi, an non grandis erit impudentia et ingratitude, si id facere recusemus? *Ibid.*

Athenienses Pompeio adventanti divinos que honores recusanti scripsere: Quatenus te censes hominem, eatenus nobis eris Deus. *Ibid.*

S. Ignatius Loyola dicebat., summa spectantibus ab imis incipiendum esse. *Vit. l. V, c. III.*

AUCTORES.

Jacobus Alvarez, tom. II, l. IV.
Alphonsus Rodriguez, p. II, tr. III.
Theophilus Bernardinus, de *Perseverantia Religiosa* lib. III et IV.
Ludovicus Richeomus, in *Academia honoris*.

Eusebius Nierembergus, in *Doctrinis Asceticis*, lib. III, doct. IV; et *L. de Ador. c. XIV, xvi, xvii, XIX, et XX.*

Joannes Buseeus, in *Viridario*, v. Humilitas.
Jeremias Drexelius, in *Rosis*, p. II, c. XIV.
Petrus Sanchez, in *Regno Dei*, p. VII, c. II.
Philippus D'Outreman, in *Pædagogico Christiano*, c. XXIV.

Hugo Rot, in *Via regia*, p. I, c. VII, s. 1; et p. II, c. XIX, s. 1; et p. III, c. XXVII, s. 5.

HYPERDULIA MARIANA.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est cultus quidam superior, qui B. Virgini propter singularem suam supra alios Sanctos excellentiam debetur. Nam ut S. Hieronymus ait, cæteris Virginibus et Sanctis per partes præstatur gratia; Mariæ vero se totam infundit gratiæ plenitudo, quæ fuit in Christo, quamquam aliter et aliter, quia in Christo fuit plenitudo gratiæ tamquam in homine personaliter definitio, in Mariæ vero ut in templo singulariter consecrato; in Christo sicut in capite influente, in Mariæ vero sicut in collo transfundente. *S. HIER. in serm. de Assumptione.*

ACTUS. — *Amor*, tam affectivus, quo B. Virgini de ejus gloria et privilegiis ex animo congaudemus et congratulamur, quam effectivus, quo opera que eidem singulariter placere cognoscimus, singulari quoque affectu studioque perficimus.

Reverentia, tam interna, in magna de ipsius excellentia et gloria æstimatione consistens, quam externa, per varias actiones conceptam

de illa æstimationem attestantes manifestata

Fiducia, qua, sive bona a Deo obtinere, sive mala a nobis repellere, desideramus, ad B. Virginem velut Matrem filiali affectu confugimus, eaque omnem nostræ ac rerum nostrarum curam penitus committimus, quemadmodum S. Bernardinus hortatur dicens: Quidquid illud est, quod offerre et obtinere paras, Mariæ commendare memento, si non vis sustinere repulsam. Filiioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ. Dico vobis, si pie a nobis pulsata, si pie fuerit invocata, compatiatur nobis, non deerit necessitati nostræ. Siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas; quoniam Regina colorum est, misericors est, et Mater misericordiæ. *S. BERN. in s. de Nativitate.*

Imitatio, præcipue in vita optime et secundum vocationem instituenda; nam, ut bene quidam vecinit, Virginis est cultus pulcherrimus optima vita. Et, ut S. Ildephonsus ait, vera laudatio cordis imitatio est operis. *S. ILDEPH. s. de Assump.*

Propagatio cultus Mariani; sive per conciones publicas, sive per privatas exhortationes, sive per librorum scriptiorem aut distributionem, sive per imaginum propositionem aut divisionem, sive per Rosariorum oblationem, sive per Confraternitatum suspensionem.

EX S. SCRIPTURA.

Maria Mater Christi.

Erat Mater Jesu ibi. *JOAN. II, 1.*

Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? *LUC. I, 43.*

Quod ex te nasceatur Sanctum, vocabitur Filius Dei. *LUC. I, 36.*

Surge, et accipe Puerum cum Mariæ Matre ejus. *MATTH. II.*

Stabat juxta Crucem Jesu Mater ejus. *JOAN. XIX, 25.*

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. *IS. XI, 1.*

Et peperit Filium suum primogenitum. *LUC. II, 7.*

Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. *ECCLES. XXIV, 12.*

long. Lat.
atq. s.
Berni. 421

Maria Virgo.

Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. MATTH. I, 18.

Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium. IS. VII, 1.

Porta hæc clausa erit, et vir non transibit per eam; quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principi. EZECH. XLIV, 2.

Hortus conclusus soror mea Sponsa, hortus conclusus, et fons signatus. CANT. IV, 12.

Mariæ Nomen.

Et nomen Virginis Maria. LUC. I, 27.

Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ. MATTH. I.

Qlem effusum nomen tuum. CANT. I, 2. Laudabo nomen tuum assidue, et collaudabo illud in confessione. ECCL. LI, 31.

Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei; et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen Civitatis Dei mei nove Jerusalem, que descendit de celo a Deo meo. APOC. III, 12.

Maria dolorosa.

Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? Cui exæquo te, et consolabor te, virgo, filia Sion? Magna est enim velut mare contritio tua; quis medebitur tui? THREN. II, 1.

Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio. IB. III, 15.

Tuum ipsius animam pertransivit gladius, ut revelaret ex multis cordibus cogitationes. LUC. II, 35.

Ne vocetis me Noemi (id est, pulchram) sed vocate me Maria (id est, amaram) quia amaritudine valde me replevit Omnipotens. RUTH. 20.

In illa die aspicient ad me, quem confixerunt, et plangent cum planetu quasi super Unigenitum, et dolebunt super eum, sicut doleri solet in morte primogeniti, ZACH. XII, 10.

Fasciculum myrrhæ dilectus meus mihi; inter ubera mea commorabitur. CANT. I, 13,

Maria amanda.

Ego Mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. In me gratia omnis vitæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis. ECCL. XXIV, 26.

Transite ad me omnes (per amorem) qui concupiscitis me; et a generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. IB. 26.

Ego diligentes me diligo; et qui mane vigilant ad me (amantium more) inveniunt me. PROV. VIII, 17.

Sicut letantium omnium habitatio est in te. PS. LXXXVI, 7.

Maria veneranda.

Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu tu honorificentia populi nostri; quia fecisti viriliter, confortatum est cor tuum; eo quod castitatem amaveris. JUDITH. XV, 10.

Mulierem fortem quis inveniet? Proculet de ultimis finibus pretium ejus. Surrexerunt filii ejus, et beatissimam prædicaverunt; vir ejus, laudavit eam. PROV. XXXI, 10 et 28.

Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. PROV. XXXI, 29.

Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. PS. XLIV, 10.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion. ECCL. XXIV, 17.

Fundamenta ejus in montibus sanctis; diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. PS. LXXXVI, 1.

Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? CANT. VI, 9.

Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? CANT. VIII, 5.

In omni populo, et in omni gente primatum habui; et omnium excellentium, et humilium corda virtute calcavi. ECCL. XXIV, 10.

Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea. IBID. XVI.

Benedicta tu a Deo tuo in omni tabernaculo Jacob; quoniam in omni gente, quæ audivit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israel. JUDITH. XXXI, 31.

Surrexit Rex in occursum ejus, adoravit eam et sedit super thronum suum, positusque est thronus Matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus. III. REG. II, 19.

Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. LUC. I, 30.

Respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. LUC. I, 48.

Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quæ suxisti. LUC. XI, 27.

Maria invocanda.

Pete, Mater mea; neque enim fas est, ut avertam faciem tuam. III. REG. II, 20.

Beati, qui vigilant ad fores meas quotidie, et observant ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino. PROV. VIII, 34.

Benedixit te Dominus in virtute sua; quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros. JUDITH. XIII, 22.

Dic, obsecro te, quod soror mea sis, ut bene sit mihi propter te, et vivat anima mea ob gratiam tui. GEN. XII, 23.

Tabernaculum erit in umbraculo diei ab æstu, et in securitatem, et absconionem a turbine et a pluvia. IS. IV, 6.

Ponam tabernaculum in medio vestri, et non abjiciet vos anima mea. LEV. XXIV, 11.

Qui me creavit, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhabita, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices. ECCL. XXIV, 13.

Sicut turris David collum tuum, quæ edificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. CANT. IV, 4.

Ego murus, et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem repiciens. CANT. VIII, 10.

Maria sine macula concepta.

Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo illius. GEN. III, 15.

Tota pulchra es, unica mea, et macula non est in te. CANT. IV, 7.

Noli metuere, non morieris; non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. ESTHER XV, 13.

Necdum erant abyssi, et ego jam concepta eram. PROV. VIII, 24.

Domum tuam decet sanctitudo in longitudo dierum. PS. XCII, 8.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Mariæ Nomen.

O celeberrimum nomen Maria! Quomodo posset nomen tuum non esse celebre, quod etiam devote nominari non potest sine nominantis utilitate? S. BONAV. in *Spec. Virg.* c. VIII.

O magna, o pia, o multum laudabilis Maria! Tu nec nominari potes, quin accendas, nec cogitari quidem, quin recrees affectus diligentium te. Tu nunquam sine dulcedine divinitus insita, piæ memoriæ portas ingredieris S. BERN. *apud S. Bon.* l. c.

Sicut nomen Jesus est mel in ore, in aure melos, in corde jubilus, sic et nomen Mariæ, et etiam amplius, si dicere audeamus; Jesus enim quasi superbum nomen est, et nimium potens, nostros humilium nomen affectus decet, ut si in Jesu, aut Deitatis, aut virilis sexus austeritatem aliquis vereatur, recurrat ad Mariam, in qua nihil horum est suspectum; Maria enim muliebri nomen, mansuetudinem præferens et commendans. Quod si sexum verearis, pro eo, quod et sibi, et aliis fuit in ruinam, virgo est. RICU. *de Laud. Virg.* l. I, c. II.

Dedit tibi, Maria, tota Trinitas nomen, quod post nomen Filii tui est super omne nomen, ut in nomine tuo omne genu flectatur cælestium, terrestrium, et infernorum. IBID., l. V.

Maria Mater Christi.

Audacter dico, quod nec ipsa plene explicare poterit, quod capere potuit. S. AUG. *sup. Magnific.*

Tu Deo, alioquin nunquam indigentem, carnem, quam non habebat, dedisti; quo, inquam, hæc ratione omnipotens, id, quod esse dignatus est, homo videlicet, vere apparet. Quid hoc illustrius? Quidve sublimius? Qui celum et terram implet, cujus præterea sunt omnia, quæcumque moventur, atque subsistunt, is tui factus est indigens. METHODIUS, *in orat. super Hyg. Papam.*

Cum Deus in aliis rebus sit tribus modis, in Virgine fuit quarto speciali modo, scilicet per identitatem, quæ idem est, quod

ipsa. Hinc taceat et contremisceat omnis creatura, et vix audeat aspicere tanta dignitatis immensitatem. S. PETRUS DAM. *s. de Nativ. Virg.*

Virgo, concipitur ex te auctor tuus, tua ex te oritur origo, in tuo germine est genitor tuus, et in tua carne est Deus tuus. S. CHRYS. s. XLII.

Beatior fuit Maria concipiendo mente, quam ventre. Felicitas gestavit corde, quam carne. S. AUG. I. *de Virg.* c. III.

Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, tecum in corde, tecum in ventre, tecum in utero, tecum in auxilio. S. AUG. *s. de Nativ. B. Mariæ.*

Quod natura non habuit, usus nescivit, ignoravit ratio, mens non capit humana, pavet cœlum, stupet terra, creatura omnis etiam cœlestis miratur, hoc totum est, quod per Gabrielem Mariæ divinitus nuntiatur. S. HIER. *de Assumpt.*

Maria Mater viventium.

Peperit filium suum primogenitum. Primogenitum ait, non respectu sequentium carnalium, cum nullum alium haberit, sed respectu adoptivorum. Licet enim filium unicum Virgo in sanctissimo utero generit, in eo tamen spiritualiter facta est mater multitudinis filiorum, quorum Christus est primogenitus. VIGUERIUS, *in c. II Luc.*

Sicut Christus nos genuit verbo veritatis ad esse spirituale, in cruce patiendo; ita B. Virgo nos genuit et peperit in maximis doloribus, Filio compatiendo. S. AXON. p. IV, tit. XV, c. XX.

O Mater Dei et hominis, et Mater Judicis et rei, et Mater Regis et exulis, cum sis Mater utriusque, non decet, ut inter filios discordiam esse patiaris. S. BERN.

Auctrix peccati Eva, et auctrix meriti Maria; Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit; illa percussit, ista sanavit. S. AUG. *in s. de Pass.*

Maria Virgo.

B. Maria mater est omnium in Virginitate, quia prima sine praecepto, consilio, vel exemplo Virginitatis munus obtulit, per quod omnes virgines per imitationem virginitatis genuit. S. AXON. p. IV, tit. XXV, c. XX, § 10.

Arbitror consentaneum rationi esse, virilis quidem puritatis primitias in castitate fuisse Jesum, muliebris vero Mariam. ORIGEN. *in c. XIII Matth.*

Quid est porta in domo Domini clausa, nisi quod Maria semper erit intacta? Et quid est, homo non transibit per eam, nisi quia Joseph non cognovit eam? Et quid est, quia Dominus solus intrat per eam, nisi quia Spiritus Sanctus imprægnavit eam? Et quid est, quod clausa erit in æternum, nisi quia Maria Virgo est ante partum, in partu, et post partum? Dicit ergo Maria: Porta facta sum cœli, janua facta sum Filii Dei. Illi facta sum janua clausa, qui post resurrectionem suam ingressus est per ostia clausa, qui natus de utero meo, me matrem dimisit intactam. Adimplevit ventrem meum Divinitate, et uterum meum non evacuavit castitate, nec in conceptione inventa sum sine pudore, nec in parturitione inventa sum cum dolore. S. AUG. s. XIV, *in Nat. Dom.*

Naturæ portas reseravit Emmanuel, ut homo; sed virginitatis claustra non violavit, neque perripit, ut Deus; ita enim est ex utero egressus, sicut per aurem ingressus; ita natus, sicut conceptus. Qui impatibiliter fuerat illapsus, impatibiliter est elapsus. PROCLUS. *de orat. de Nat. Christi.*

Solis radius speculum penetrat, et soliditatem ejus insensibili subtilitate pertransit; speculum ergo non rumpit radius solis; integritatem virginis ingressus aut regressus numquid vitare potuit Deitatis? S. AUG. s. III *de Adv.*

Maria sine macula.

Decebat, ut illa virgo ea puritate neteret, qua major sub Deo nequit intelligi, quod non haberet veritatem, si in peccato originali concepta foret. S. ANS. I. *de Conc. Virg.* 18

Si Deus castaneæ confert ut intra spinas a spinis remota concipiat, alatur, et formetur, non potuit hoc Dei Filius facere Matri suæ? Plane potuit, voluit, et fecit. Idem, *de Eword. hum. sabul.*

Hec est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit. S. AMBA. s. I *de Gabonitis.*

Potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius potest esse in rebus creatis, puta si nulla peccati contagione inquinatum sit. Et talis fuit puritas Mariæ, quæ a peccato

originali et actuali immunis fuit, sub Deo tamen, in quantum erat in potentia ad peccandum. S. THOM. *Sent. d. XXIV a. 3, in sol. tert. arg.*

Maria dolerosa.

Quidquid crudelitatis inflicium est corporibus Martyrum, leve fuit, vel potius nihil, comparatione tuæ Passionis. S. ANS. I. *de Excel. Virg.* c. v.

Cor Mariæ clarissimum Passionis speculum, et perfecta mortis imago effecta est. S. LAUR. JUST. I. *de Triumph. Christi agone.* Nullus dolor amarior, quia nulla proles carior. S. BON. *in offic. de Pass.*

Tunc plus quam Martyr fuit, quia in animo non minus amoris, quam moeroris, gladio intus vulnerata fuit. S. IDELPH. s. II, *de Assumpt.*

Omnino tunc erat una Christi et Mariæ voluntas, unumque holocaustum ambo pariter offerebant Deo, hæc in sanguine cordis, ille in sanguine carnis. ARNOLDUS CARNOL. *in tract. de Laud. Vir.*

O ineffabilis reciprocatio sancti amoris! Filius patitur, et intus valde compatitur Matri; Mater vero compassa est patienti Filio. Tantus nempe impetus Passionis Domini Jesu fuit, ut quasi torrens ipsum impleret patientem, et inebriaret, quia teste Psalmista: *De torrente, scilicet Passione ejus, in via bibit Christus, ut sic Christo impleto, Matrem flueret patientem, qua similiter repleta, ad filium redundaret inundatio amaritudinis et moeroris.* S. BEAN. *hom. in Ev. Stabat.*

Quo se illius fugebat obtutus (verba sunt Beati Laurentii Justiniani) moestus retundebatur animus, visionis horrore. In capite coronam spineam, in facie sputa, gelatum sanguinem, et speciem deformatam, in manibus ac pedibus clavos infixos, vulnera dilatata, delatentem cruorem, rigidisque nervos, in toto demum corpore livores, tusiones, excoziationes, tumoresque cernebat. Undique vehementissimi doloris aspicebat insignia. S. LAUR. JUSTIN. *de Triumph. Christi agone, c. XVIII.*

Vidit in eo Pretium mundi pretio vili distractum; Fortitudinem Sanctorum in agonia factam; Speciosum forma præ filiis hominum, plenum sudore sanguineo; Dominum mundi, ut latronem comprehensum sit. Virtutem cœlorum arctioribus vinculis con-

strictam; columnas cœli contremiscere Facientem; ad columnam vincetum; orbis Conditorem icibus lividum; in Cujus manu vita et mors, flagellis disruptum et laniatum; Judicem sæculi coram impiis, ut judicetur, adductum; in cœlis Glorificatum, scelestissimis spretum; cœlorum Regem a scleratis illisum; Caput omnium potestatum arundine percussum. S. BEAN. t. III, s. II. Tantus fuit dolor Virginois, quod si in omnes creaturas, quæ pati possent, divideretur, omnes subito interirent. Idem.

Summa fuit inter Christum et Mariam sympathia naturarum, complexionum, morum, propensionum, et voluntatum conjunctio, consequenter eximia quædam dolorum communicatio. Quod igitur pro salute nostra Christus in corpore suo de condigno, et ex omni æquitate, et rigore justitiæ Patris sati faciens patiebatur, hoc Maria de congruo, impetratorio, ut vocant, merito procurabat.

Quod non fuerit tam amarum martyrium aliorum Sanctorum, manifestissime patet. Non fuit talis Filius, non fuit talis Mater. Non fuit tanta charitas sicut inter Matrem et Filium. Non fuit tam indigna mors. Non fuit dolor tantus. Sciebat siquidem Mater, qualis erat Filius, unde conceptus, et quomodo, et cœtera hujusmodi, et ideo quanto dilexit tenerius, tanto vulnerata est profundius. LAUR. JUST. lib. III *de Laud. Virg.*

Cum alii Martyres passi sint propter fidem, Maria passa est propter charitatem. Unde dicit in Canticis, secundum aliam litteram, quam ponit Gregorius: «Vulnerata charitate ego sum, et sicut charitas major est quam fides (I Corinth. 13). Major autem horum est charitas; sic Mariæ martyrium quantalibet excellit martyria Sanctorum. Id.

Tuam ipsius animam doloris gladius pertransivit. Et vere pertransivit animam tuam gladius doloris, inquit S. Anselmus, qui tibi amarior fuit omnibus doloribus cujusvis passionis corporeæ. Quidquid crudelitatis inflicium est corporibus Martyrum, leve fuit, aut potius nihil, comparatione tuæ Passionis, quæ nimirum sua immensitate transfixit omnia penetralia tua, tuique benignissimi cordis intima. S. ANS. *de Laud. Virg.* c. v.

Tanta ejus crux, tanta afflictio erat, ut, tametsi invenire quidpiam consolatorium in Filii Passione potuisset, suis levandis doloribus accommodum, mox ab illo amaritu-

dinis impetu atque profluvio fuerit absorbendum, haud secus quam si gutta suavissimi vini in mare salissimum mittatur. TAULIUS c. XLIV.

Quia Pater æternus Unigenito Filio suo nullum excellentissimum, vel præclarium, quam crucis, sive passionis, donum conferre potuit (hoc namque post ipsum gratissimum beatissimumque munus est, quod charissimis præstat amicis suis) ideo et Virgini intemerata hoc ipsum donum largitus est; cui dono ipsa per invincibilem quandam tolerantiam cooperari optime novit, Ibidem.

Non attendit doloris gladium, quo cor suum scindendum erat; non thesaurum pretiosissimum, quo privanda erat, consideravit; nec denique una se hora omni gaudio, solatio, ac ipso demum charissimo Filio suo destituendam intuita est; sed totam se cum omni facultate sua simul in gratissimam resignavit Dei voluntatem, paratam omnem ferre pressuram, afflictionem, et gravissimos cruciatus, qui hinc ei accidere possent. Ibidem.

Maria summe estimanda et veneranda.

Hoc solum, quod Dei Mater est, excedit omnem altitudinem, que post Deum dici, vel cogitari potest. S. ANS. I. *de Excel. Virg.*

Majorem mundum potest facere Deus, majus cælum; majorem Matrem, quam Matrem Dei, non posset facere Deus. S. BONAV. *opusc.*

Angelicum transiens dignitatem, usque ad summi Regis thronum es sublimata, ubi posuit idem Rex Filius tuus quod ex te suscepit, ibi te posuit Reginam, de qua illud assumpsit. Neque enim fas est, alibi te esse, quam ubi est id, quod a te genitum est. S. BERN. s. VI. *de Assumpt.*

Christus Dominus, Maria Domina; constituta quippe est super omnem creaturam, et quicumque Jesu curvat genu, Matri quoque pronus supplicat. S. ANS. s. *de B. Vir.*

Tot creature serviunt gloriosæ Virgini Mariæ, quot serviunt Trinitati; Deo scilicet ita volente, et imperante. S. BERN. t. I. *conc. LXI, ar. 1, c. VI.*

Si omnia dona, virtutes, et gratiæ ipsius Spiritus Sancti quibus vult, quomodo vult et quantum vult, per manus ipsius (Mariæ) administrantur; altius ergo intueamur, quanto devotionis affectu a nobis eam

voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria, ut proinde, si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare. Adeoque totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. S. BERN. s. *de Aquæ ductu.*

Quid nos tantilli, quid actione pusilli, quid in ejus laudibus referamus, cui, etiamsi omnium nostrum membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus. Altior enim cælo est, de qua loquimur, abyso profundior, cui laudes dicere conamur. Si cælum te vocem, altior es; si Matrem gentium, præcedis; si formam Dei appellem, digna existis; si Dominam Angelorum, prima esse probaris. S. HIER. in s. *de Assumpt.*

Sicut in comparatione Dei nemo bonus; ita in comparatione Matris Domini nulla invenitur perfecta creatura, quantumvis eximia virtutibus comprobetur. Id.

Vere in plenitudine Sanctorum detentio Virginis Mariæ, cui non deficit fides Patriarcharum, spes Prophetarum, zelus Apostolorum, constantia Martyrum, sobrietas Confessorum, castitas Virginum, fecunditas Conjugatorum, sed nec ipsa puritas Angelorum. S. BERN. in *serm.*

Gloriosum gloriæ Mariæ privilegium est, quod, quicquid post Deum pulchrius, quicquid jucundius in gloria est, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam est. S. BONAV. *in Spec. B. V.*

Quid grandius Virgine Maria, quæ magnitudinem summæ Divinitatis intra suum ventris clausit arcanum. Attende Seraphimi et videbis, quicquid majus est, minus esse Virgine, solum opificem opus illud supergredi. S. PERRUS DAM. s. *de Nat. Virg.*

Si formam Dei te appellem, digna existis, S. AUG. s. *de Nativ.*

Magna fuit sanctificatio Jeremie, qua potuit vitare facilius culpam mortalium; major sanctificatio Joannis Baptistæ, qua potuit vitare frequentiam venialium; maxima Virginis Mariæ, qua potuit vitare, imo vitavit omne peccatum. S. BERN. *ad Can. Lugd.* Sicut est incomparabile, quod gessit, et ineffabile, quod percepit; ita est incomprehensibile præmium, quod meruit. S. ILDEPH. s. II *de Assumpt.*

Summa gloria est, o Maria, post Dominum te videre. S. BON. in *Spec. c. VI.*

Maria invocanda.

Veni, electa, mea, et ponam in te thronum meum. Nullus plus mihi ministravit in humilitate mea, nulli abundantius ministrare volo in gloria mea. Communicasti mihi, quod homo sum, communicabo tibi, quod Deus sum. GUARRIC. s. *1 de Assumpt.*

Deus, cui subditi sunt Angeli, Principatus et Potestates, subditus erat Mariæ, et Josephi propter Mariam. Mirare ergo utrumlibet, et elige, quid amplius mireris, sive Filii Dei benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrinque stupor, utrinque miraculum. Et quod Deus feminae obtemperet, humilitas absque exemplo; et quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio. S. BERN. s. *sup. Missus.*

Dux famulae, quarum Regina est Maria, sunt angelica et humana natura. Humana est famula illa, quæ sequitur Dominam in mundo colligens vestimenta Dominae, hoc est, virtutes et exempla Mariæ. Angelica vero est illa altera, super quam in cælo innotuit, se sociando et deliciando cum Angelis. S. BONAV. in *Spec. Virg.*

Honor is, qui conservis habetur, benevolentiam erga communem Dominum declarat. Quo tandem modo studium te honorandi, quæ Dominam peperisti, negligendum erit? An non illud necessario spiritui præferemus, ac ipsi etiam vitæ anteponeamus? Hac enim ratione nostram erga Dominum benevolentiam inculcentius ostendemus. S. DAM. *orat. 1 de Dorm. B. V.*

Non est in mundo locus dignior utero virginali, in quo Dei Filium Mariæ suscepit, nec in cælis solio regali, quo Mariam Dei Filius sublimavit. S. HIER. in *1 de Ass.*

Virgo regis est via, per quam Salvator advenit procedens de ipsius utero, tanquam sponsus de thalamo suo. Per te accessum habemus ad Filium, o benedicta Inventrix gratiæ, Genitrix vitæ, Mater salutis, ut per te suscipiam nos, qui per te datus est nobis, excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, et humilitas tua Deo grata nostræ veniam impetret vanitatis, copiosa charitas tua nostrorum cooperat multitudinem peccatorum, fecunditas gloriosa fecunditatem nobis conferat meritum! S. BERN. s. II *de Adventu.*

Maria veneratione digna in qua humilitatem exallat fecunditas, et partus consecrat virginitatem. Id. *super Missus est. Homil. I.*

Advocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Judicis Mater, et Mater misericordiæ, suppliciter et efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit. Siquidem ei nec facultas deesse poterit, nec voluntas. Regina colorum est, misericors est; denique Mater est Unigeniti Filii Dei. Nihil enim sic potest potestatis ejus seu pietatis magnitudinem commendare, nisi forte aut non creditur Dei Filium honorare Matrem, aut dubitare quis potest omnino in affectum charitatis transiisse Mariæ viscera, in quibus, ipsa, quæ ex Deo est, charitas novem mensibus corporaliter requievit. S. BERN. s. II *in Domin. 2 post Epiph.*

Quis misericordiæ tuæ, o benedicta, longitudo et latitudo, sublimitatem et profundum queat investigare? Nam longitudo ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic et sublimitas ejus Civitatis superna inventi restructionem; et profundum ejus sedentibus in tenebris et in umbra mortis obtinuit redemptionem. Ibid.

Ipsa est præclara et eximia stella super hoc mare magnum et spatiosum necessario sublevata, micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare, quam per terram ambulare, nec avertas oculos a fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis. S. BERN. *hom. II sup. Missus.*

Ipsam sequens non devias, ipsam cogitans non erras, ipsam rogans non desperas, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non defatigaris, ipsa propitia pervenis, et sic in temetipso experiris, quam merito dictum sit: Et nomen Virginis Mariæ. Idem.

Ipsa est aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata, Luna lucet in nocte, sol in die, aurora in diluculo. Nox autem est culpa, diluculum poenitentia, dies gratia. Qui ergo jacet in nocte culpæ, respiciat lunam, deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium cor ejus ad compunctionem illustret. Qui vero ad diluculum poenitentiae surgit, respiciat auroram, deprecetur Mariam, ut ipsa

per Filium cor ejus ad satisfactionem illuminet. Quia vero militia est vita hominis super terram, quicumque sentit impugnationem ab hostibus, vel a mundo, vel a carne, vel a Demone, respiciat castrorum aciem ordinatam, deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium mittat auxilium de Sancto, et de Sion tueatur. Quis enim devote invocavit eam, et non est exauditus ab ea? Ipsa est Mater pulchræ dilectionis et sanctæ spei. INNOC. III. s. II. de *Assumpt.*

Ex hoc beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam et gloriam tribuisti. In te Angeli lætitiæ, peccatores veniam, justi gratiam inveniunt in æternum. Merito in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, per te et de te benigna manus omnipotentis, quicquid creavit, recreavit. S. BERN. s. in *Nat. Virg.*

Sinum misericordiæ suæ Maria omnibus aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, justus gratiam, Angelus lætitiæ, tota Trinitas gloriam, et denique Persona Filii Dei carnis substantiam. Idem. s. in *Signum magnum.*

Habes vires insuperabiles, robur inexuperabile, non immensam tuam clementiam superet multitudo peccatorum. Nihil tuæ resistit potentiæ, nihil tuis repugnat viribus, omnia cadunt tuo jussu, omnia tuo obediunt imperio, omnia tue potestati serviunt. Te omnibus suis reddit excelsoiorem, qui ex te natus est. Tuam enim gloriam Creator existimat esse propriam, et tanquam Filius in ea exultans, quasi exsolvens debitum, implet petitiones tuas. S. GREG. NICOMED. s. de *Oblat. Deip.*

Nullus est, qui salvus fiat, nisi per te, o Virgo sanctissima; nemo est, cui donum concedatur, nisi per te, o castissima; cuius misereatur gratia, nisi per te, o honestissima! S. GERMANUS, s. de *Zona B. V.*

Nunquam male peribit, qui Genitrici Virgini devotus sedulusque extiterit. Impossibile est enim aliquem posse salvari peccatorem, nisi per tuum, o Virgo, auxilium et favorem. [S. IGNAT. MART. ap. *Miekov.* p. II. d. 352. n. 18.]

Certe Domina, cum te aspicio, nihil nisi misericordiam cerno; nam pro miseris Mater Dei facta es, misericordiam insuper genuisti; et tibi demum officium misericordiæ est commissum, undique tu misericordia vallis, solum misereri tu appetere videris,

ita sollicita es de miseris. S. BERN. s. II. *sup. Salve Reg.*

Morientibus B. Virgo non tantum succurrit, sed occurrit, præsertim in hora mortis. S. HIER. in ep. ad *Eustoch.*

Et quidem sufficere poterat Christus, si quidem ex nunc omnis sufficientia nostra ex eo est; sed nobis bonum non erat, hominem esse solum, congruum magis ut adesset nostræ reparationi sexus uterque, quorum corruptioni neuter defuisset. S. BERN. s. in *Signum magnum.*

Quis unquam, o Beata, fideliter omnipotentem tuam rogavit opem, et fuit derelictus? Revera nullus unquam. B. EUGENIUS, in *Vit. S. Theoph.*

Sileat laudes tuas, Virgo beata, qui te, suis in necessitatibus invocantem, sibi unquam meminert defuisse. S. BERN. s. de *Assumpt. Virg.*

Sicut impossibile est, ut illi, a quibus Maria oculos suæ misericordiæ avertit, salventur; ita necessarium, quod hi, ad quos convertit oculos suos, pro eis advocans, justificentur et glorificentur. S. ANS. ap. S. ANTONIUM, IV. p. tit. L, §. 14, c. VII.

Sicut, o beatissima, omnis a te aversus, et a te despectus, necesse est ut intreat; ita omnis ad te conversus, et a te respectus, impossibile est ut pereat. S. BONAV. L. I. *Phar.* c. v.

Ad Patrem verebaris accedere; solo auditu territus, ad folia fugiebas; Jesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud Patrem Filius talis obtineat? At vero trepidas et ad ipsum? Frater tuus est, et caro tua, tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forsitan et in ipso Majestatem vereare divinam, quod, licet factus sit homo, manserit tamen Deus, advocatum habere vis et ad ipsum? Ad Mariam recurre. Exaudiet utique Matrem Filium, et exaudiet Filium Patrem. Filiohi, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. S. BERN. s. in *Nat. Virg.*

Habet homo mediatorem cause suæ, Filium ante Patrem, et ante Filium Matrem. Christus Patri ostendit latus et vulnera; Maria Christo pectus et ubera. Nec potest ullo modo esse repulsa, ubi concurrunt et orant omni lingua disertius hæc elementæ monumenta, et charitatis insignia. S. ANNOOLDUS, tr. de *Laud. Virg.* tom. VI *Biblioth. Patrum.*

O quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio, magis inter procellas et tempestates fluctare, quam per terram incedere, noli avertere oculos a fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis! Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde; et ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. S. BERN. hom. II. in *Missus est.*

Maria amanda.

Quid mirum, quod præ aliis est dilecta, quæ præ omnibus aliis est delecta! S. BONAV. in *Spec.*

Scio, Domina, quia benignissima es, et amas nos amore invincibili, quos in te et per te Deus tuus summa dilectione dilexit. Et quoniam amor non nisi amore reprehenditur, ideo redamare eam pro virili studeamus. S. PETRUS DAM. ser. de *Nativ. Virg.*

Maria imitanda.

Sit vobis tamquam in imagine descripta virginitas, vitæque Mariæ, in qua velut in speculo refulget species castitatis, et forma virtutis. Hinc sumatis exempla vivendi, ubi tamquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid fugere, quid tenere debeatis, ostendunt. S. AMBR. lib. II. de *Virg.*

Imitamini Matrem Virginem et Sanctos omnes, quos laudatis, quoniam non tantum illis prodest nostra laudatio, quam nobis eorum imitatio. Unde sponso magis placeat imitator devotus, quam laudator otiosus; tamen vera laudatio cordis imitatio est operis. S. ILDEPH. s. I. de *Assumpt.*

Igitur, dilectissimi, amate Mariam, quam colitis; colite, quam amatis, quia tunc vere colitis et amatis, si imitari velitis ex toto corde, quam amatis. S. HIER. s. de *Assumpt.*

Agnoscit Virgo, et diligit diligentes se, et prope est invocantibus se, præsertim iis, quos videt conformes sibi factos in castitate, et humilitate. S. BERN. in *serm. sup. Salve Regina.*

Quicumque sibi Mariæ optant præmium, imitentur exemplum. S. AMBR. de *Virginibus*, l. II.

Talis fuit Maria, ut ejus unius vita omnium disciplina sit. Si igitur auctor non displicet, opus probemus. Ibid.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Mariæ Nomen.

S. Hermannus, qui et Josephi nomen ab ipsa B. Virgine adsciscere jussus erat, quoties SS. hoc nomen proferri audiebat, in terram prostratus terram osculabatur, et sat diu in ea defixa labra tenebat, asserens, se omnium florum et odorum suavitatem odorari. PISTORIUS, in *Matre adm.* conc. IX, §. 3. Consonat plane cum eo, quod in ejus vita legitimus his verbis: Ad Sacrum Mariæ Nomen non reclinatorium modo ac manum, pro Præmonstratensium Religiosorum more, osculabatur B. Hermannus de Steinveid, sed toto etiam corpore prosterneretur, tamque suaviter jacebat, ut inter fragrantissimos totius veris flores jacere se suavius non posse fassus sit, nec inde nisi admodum repugnanter exurgeret. In *ejus Vita.*

S. Odilo, quoties hoc nomen audivit, perinde atque ad illa verba Missæ: Et Verbum caro factum est, genuflexit. PISTORIUS, ibid.

S. Gerardus, Ungariæ Episcopus, ad prolationem dicti nominis non modo ipsem caput aperuit, et profunde se inclinavit; sed etiam, ut subditi sui id facerent, neque unquam hoc nomen ob reverentiam pronuntiarent, sed *Dominae nostræ* appellatione contenti forent, effecti. Ibid.

Franciscus Retzannus, Ordinis S. Dominici, tanta erga SS. Nomen hoc devotione celebrabat, ut ad singulas illius auditiones salutationem Angelicam recitaret. PIST. l. c.

Marsilio Episcopo femina quedam Coloniensis narrabat, nunquam se Sanctam hoc nomen pronuntiare, quin suavitate melle dulciorem experiretur; quare et ipse Marsilius pietatem illius secutus similem dulcedinem sensit. Ibid.

B. Jordanus de Saxonia quinque Psalmos initialibus litteris *Mariæ* nomen referentes, (nempe: Magnificat, Ad Dominum, Retribue, In convertendo, Ad te levavi) quotidie recitavit. Quod idem cum fecisset Joscion, S. Bertini Religiosus, post mortem quinque rose, nempe una ex ore, binæ ex auribus, et totidem ex oculis exereverunt, quarum prima nomen Mariæ litteris aureis scriptum

continens, cum crystallo et auro inclusa esset, cætera videri desiderunt. VINCENTIUS BELLOYAC. in *Specul.* c. cxvi.

Poloni inter cætera Marianæ devotionis monumenta non minimum hoc numerant, quod nulli feminae unquam hoc nomen imponant. MIEKOV. t. I, disc. lxxxiii, n. 1.

In Japonia ethnica mulier, cui ad idoli sui Amydæ honorem nomen ejus aliquot millenis vicibus quotidie pronuntiasset, et ideo summo mane e lecto surrexisset, eundem honorem postea post baptismum nominibus Jesus et Mariæ pro conversionis beneficio exhibuit. PISTORIUS, in *Matre adm.* c. viii, § 3.

S. Odilo, Abbas Cluniacensis, inter cæteros Sanctos erga Beatam Dei Genitricem tam ardenti pietate flagrabat, ut quotiescunque Mariæ Nomen proferri audiret, profunde sese inclinaret, et constitutus in Choro psallentium, cum ad illum veniretur modulantium alternatione versiculum: Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum, in terram se prosterneret. Siquæ pro corpus ostenderet, quibus desiderii celestis in mente factibus astuaret. PÉTR. DAMIANUS, in *Vita S. Odil.*

Maria Mater.

B. Virgo quondam S. Brigitte oranti apprensus dixit, se esse Matrem Dei, Sanctorum, animarum in Purgatorio, et omnium denique justorum et peccatorum in terris existentium, eo quod Christum genuerit, Sanctorum gloria per ejus auctoritatem augetur, purgantium pena minuitur, justis a periculis corporis et animæ defendantur, et peccatoribus venia per ipsam impetretur. Lib. IV, Rev. cap. cxxxviii.

Cum Garsenda filium suum Elzearium commendaret, Christum sibi de nocte oranti dicentem audivit: Scito, Garsenda, quod juveni, pro quo oras, Matrem meam pro Magistra et Matre dederim, omnem proinde illo sollicitudinem deponere. SCRIVUS, 27 Sept. c. xiv.

Cum S. Mechtildis recitari in Passione verba illa: Stabat juxta crucem Mater ejus, advisisset, rogavissetque, ut ipsam quoque Matri suæ commendaret, Christus cum Matre sua apparet, atque eidem, Mechtildem in manus tradens, dixit: Mater, commendo tibi hanc filiam, perinde ac sanguinea vulnera, pretium passionis, cor ac delicias

meas. Cumque Mechtildis quæreret, an hanc gratiam etiam aliis petentibus conferre paratus sit: Omnino, respondit, neque enim apud me ulla reperitur personarum acceptatio. BALING. *homil. in Calend. Marian.* 26 Febr.

S. Theresia singulis annis B. Virginis imaginem in sede Priorissæ collocabat, eique claves in manus tradens, hoc ritu publice illam pro Matre et Præsede Monasterii declarabat. PISTORIUS, in *Matre adm.* conc. iii, § 3.

S. Gerardus Martyr, Episcopus Canadensis in Pannonia, laudibus et venerationi Sacratissimæ Virginis tantæ humilitatis obsequio se subdere noverat, ut si quis reus clam a sancti viri familiaribus eductus, veniam ab ipso peteret, per nomen Matris Christi, mox audito nomine Matris misericordiæ, pater sanctus lacrymis profundere, et perinde ac si ipse reus esset a reo veniam peteret, Filium quoque suum illum fore affirmaret, si eam sincere crederet Dei Genitricem. Ipso auctore, ab Hungarica gente non pronuntiat nomen ipsum Matris Dei, sed *Dominam* eam vocant. Si sit autem pronuntiatum illius nomen, statim flexis genibus et dimissis in terram caputibus se inclinant. *Apud Sur. in vita ejus*, 24 Sept.

Maria Virgo.

Cum Augustus Cæsar ex Sybilla quæsisset, an quisquam illo potentior in orbe futurus esset? eo die, quo Christus natus est, vidit Sibylla circumlum aureum juxta solem, in quo Virgo pulcherrima infantem in gremio portans residebat, ideoque dixit illa Augusto: Jam potentior te natus est. Simulque vox audita est dicens: Hæc est astra cœli. Unde postea Constantinus M. templum eo in loco in honorem Matris Virginis ædificari jussit. S. ANTONIN. p. I, tit. IV, c. vi.

Simili modo Romani oraculum Apollinis consulentes, quamdiu Templum Pacis statuerent? audiverunt: Quosque virgo pareret. Et licet ex hoc illi perpetuo duraturum augurati sint, contrarium tamen experti sunt, dum ea nocte, qua B. Virgo peperit, penitus collapsum est; quemadmodum etiam eodem tempore corruit aurea statua, quæ in Palatio quodam cum hac inscriptione posita fuerat: Non cadet, donec Virgo pariat. S. BERN. s. vi de *Nativ.*

Tempore Constantini et Irenæ Matris ejus, sepulchrum inventum fuit, in quo jacebat homo laminam auream habens in pectore, in qua scriptum erat: Christus nascetur ex Virgine, et ego credo in eum. O sol sub Constantino et Irena iterum me videbis! MARTINUS POLONUS, l. IV *Chron.*

Jeremias Propheta apud Ægyptios exilium patiens, prædixit omnia eorum simulacra ruitura, cum primum Virgo pareret, et infantem in præsepio locaret; unde Ægyptii fidem prædictioni adhibentes aram Virgini parituræ extruxerunt, veramque postea Prophetiam fuisse, collapsis omnibus idolis, compulerunt. MIEKOV. d. cliv.

B. Egidius, cum quidam celebris Doctor S. Scripturæ cum ipso de Virginitate B. Virginis collaturus accessisset, ex inspiratione Spiritus Sancti, ante quam Doctor verbum pronuntiaret, baculo ter terram pulsans dixit: Virgo ante, in, et post partum; et mox ad singulas percussiones liliū e terra prodiit. SCRIVUS, in *vita B. Egidii.*

Tempore Bonifacii Pape, cum Judæi Christum ex S. Josepho genitum pertinaciter contenderent, cæcus quidam illos eo usque convicit, ut polliciti sint Christianam fidem suscipere, si Christus ex Virgine natus visum ei restitueret; id ubi concurrente toto Clero in festo Purificationis, factum est, et cæcus magno subito splendore circumdatus responsum de illibata virginitate Mariæ recitavit; quingenti Judæi conversi sunt, reliqui fugam arripuerunt. TH. CANTIPRATEN. in *Appendic. Exempl.*

Maria sine macula concepta.

Helsinus Abbas, cum in negotiis Regis Angliæ navigaret, ob gravem tempestatem exortam nulla spes evadendi superesset, ideoque B. Virginis auxilium expeteret, mox quidam Pontificali habitu in aere apprensus dixit: Scias, quod D. Maria misit me jubens, ut si liberari vis, promittas te annis singulis celebraturum, et, ut aliis etiam celebretur, curaturum, festum creationis et Conceptionis ipsius. Quod cum is promississet, mox sedata tempestate liberatus est. *Stellarium B. V. l. IV, p. I, art. 1.*

Cum Gerardus de Piscaciis, Ordinis Minorum, contra Conceptionem immaculatam concionatus, paulo post Missam legeret, B. Virgo et apprensus sacram hostiam abstulit,

nec prius restituit, quam poenitentia ductus, revocationem dictorum promisit; id quod ille mox gratus præstitit. *Ibid.* art. 2.

Alius quidam ex eodem Ordine, dum Tolosæ in cathedra Conceptionem immaculatam oppugnaret, imago marmoræ vultum cum indignatione avertit (quo situ etiam nunc videtur) ipse autem cæcus factus, post poenitentiam visum iterum recepit. *Ibid.*

In Regno Aragoniæ, dum quidam Religiosus ex Ordine S. Dominici Dæmonem adjurans peteret, ut ipsi dubium, quod mente de immaculata Conceptione conceperat, resolveret, dæmoniacus fortiter exclamans dixit: Vae, vae, vae, illis, qui festum B. Virginis sine macula conceptæ non celebrant, et malum de illa dicunt. *Ibid.*

Cum quidam canonicus, quotidie horas B. Virginis dicere solitus, quadam nocte fornicatus, solus navem ingressus horas easdem recitaret, navi a Dæmonibus eversa, ab iisdem jam ad tartara rapietur; sed B. Virgo ipsum corpori restituens, aquasque a dexteris et a sinistris muri in modum consistere jubens, ad portum deduxit, ubi quærentem, quid pro beneficio rependeret, horlata est, ne seelus repeteret, et ut festum suæ sanctissimæ Conceptionis celebraret. *Ibid.* ex S. *Anselmo.*

Alexander Alensis, cum in festo Conceptionis coram Universitate doceret B. V. esse in macula conceptam, repentino gravique morbo correptus, eoque singulis annis iterum circa hoc festum tentatus est, donec votum fecit, se librum de Immaculata Conceptione scripturum; quo facto mox sanatus est, et postea in morte assiduo hæc verba ingeminavit: Maria Domina mea, tota pulchra es et formosa, et macula originalis non fuit in te. *Ibid.*

B. Brigitta ipsa Virgo revelavit, se esse sine macula conceptam, non definiti tamen hoc ab Ecclesia, ut fideles habeant magis occasionem, suum erga ipsam affectum demonstrandi. BERN. DE BUSTIS, l. c.

Cum urbs Mediolanensis gravi peste affligeretur, multique per eam sublatis essent, denique ea ad B. V. opem confugit, votumque fecit de Immaculata ejus Conceptione singulis annis celebranda, quo facto mox ab ea lue liberata est. Per simile votum Ferdinandus Primus Gronatam urbem, quam nulla vi expugnare poterat, in suam potestatem redegit. *Ibid.*

Toleti Episcopus erat, Gondisalus nomine, adeo addictus B. Virginis cultui, ut hæc ei, quoties Sacrum faceret, visendam se exhiberet. Hic ergo, cum in festo Conceptionis se ad Sacrum præpararet, iterum illi apparsit B. Virgo candidam planetam attulit, dixitque : Scito, filii, me sine macula originali conceptam fuisse; quapropter præcipio tibi, ut omni conatu studeas festum hoc meum celebrius efficere. Id quod ipse totis viribus executus est, libro etiam copioso de materia scripto. BERN. DE BUSTIS, l. c.

Maria dolorosa.

S. Brigitte dixit Deipara : Cum nasceretur Filius meus, sensi ego, quod quasi didimidum cor meum nasceretur, et exiret a me; et cum ipse pateretur, sensi, quod quasi cor meum patiebatur. Ego fui ei propior in Passione, nec separabar ab eo, et stabam vicinior cruci ejus; et sicut gravius pungit, quod vicinior est cordi, sic dolor ejus gravior præ cæteris erat mihi. Lib. I *Revel.* c. vi.

Alias eidem dicebat : Cum respexisset Filius meus ad me de cruce, et ego ad eum, tunc de oculis meis quasi de venis lacrymæ exhibant. Et cum ipse me cerneret dolore confectam, in tantum amaricabatur de dolore meo, quod omnis dolor vulnorum suorum quasi sopitus erat præ dolore meo, quem in me videbat. Propterea audacter dico, quod dolor ejus erat dolor meus, quia cor ejus cor meum. Ideo, filia mea, cogita, qualis eram in morte Filii mei, et non erit tibi grave relinquere mundum. Lib. I *Revel.* c. vi.

Iterum eidem dixit : Filius meus videns me et amicos suos, oculis in cælum directis clamabat ad Patrem : Pater, quare dereliquisti me? quam vocem ego nunquam, donec ad cælum veni, oblivisci potui, quia plus ex compassione mea, quam passione sua per motus eam protulit. MREKOV. d. 384. n. 17.

Eidem dixit : Omni tempore, quo post Ascensionem Filii mei visitavi loca, in quibus ipse passus est, et mirabilia sua ostendit, sic quoque passio sua in corde meo fixa erat, quod, sive comedebam, sive laborabam, quasi recens erat in memoria mea. Lib. VI *Revel.* c. lxxv.

S. Brigitta in *Revelationibus* narrat, primum quemdam virum, qui ultra 60 an-

nos cum Diabolo pactum habuerat, ideoque hoc totum tempus inter summa scelera transegerat, in fine tamen contritionis eliciendæ gratiam obtinuisse, quod, quoties dolorum B. Virginis recordabatur, teneram cum ea compassionem elicerit. Lib. VI. *Rev.* c. xcvi.

Maria estimanda.

S. Dionysius, in Epistola ad S. Paulum scripta, sic loquitur : Cum ad Deiformem præsentiam altissimæ Virginis ductus fui, tam immensus me divinus splendor circumfulsit, et plenius irradiavit interius, et in me omnium odoramentorum superabundavit fragrantia, ut nec corpus infelix, nec spiritus posset totius ac tantæ felicitatis insignia sustinere. Defecit cor meum, defecit et spiritus tantæ Majestatis gloria oppressus. Testor, qui aderat in Virgine, Deum, si tua divina concepta mente non me docuissent, hanc ego Deum verum credidissem. MREKOV. disc. 104, n. 17.

Clericus quidam, cum multis precibus a B. Virgine obtinisset, ut suam illi pulchritudinem ostenderet, et primo ejus aspectu impetrato oculum unum, quem solum aperuerat, splendore nimio corruptum amisisset, etiam alterum ut impendere secundo aspectui liceret, ardentem petiit, et obtinuit quidem, sed ita ut cum aspectu etiam alterius oculi sanitatem lumenque reciperet. S. ANTONIN. par. IV, tit. XV, c. xxxiv, §. 3.

Maria amanda.

Carolus S. Brigitte filius dicere solebat : In tantum gaudeo, quod Deus Virginem Mariam Matrem suam super omnia habet carissimam, ut ego illud gaudium præferam omnibus rebus creatis et delectationibus terrenis. Unde B. Virgo fassa est, se ei propter talem amorem specialiter in mortis articulo adfuturam. Ibid.

Romaus Tarraconensis adeo diligebat B. Virginem, ut nunquam sibi ejus memoriam elabi pateretur, illud S. Davidis : Cum deriderit dilectis suis somnum, ad B. Virginem applicare, dicereque solitus, eos, qui hanc Virginem sincere amant, quasi dormiendo cælum obtinere. Hinc etiam frequenter alios adhortatus ad amorem, dicebat : Ah! Fratres, cur non diligitis, et cordialem amicitiam facitis cum Maria? Non patitur illa

amando se vinci. PISTOATUS, in *Matr. adm.* c. xii, p. 3.

S. Franciscus Salesius nihil aliud magis cogitabat, quam quomodo hanc S. Dei Matrem satis diligere posset; hinc cum ipse satis eam diligere non posset, Ordinem Monialium, quæ a Visitatione nomen habent, instituit, easque ad hanc Dei parentem velut Matrem amandam, quanto poterat studio, dum vixit, est adhortatus. Ibid.

S. Franciscus, teste D. Bonav. B. Virginem inexplicabili amore prosequabatur, duas potissimum ob causas. 1. Quod Christum nobis fratrem effecisset. 2. Quod per eam apud eundem Christum misericordiam obtinuissemus. *Vita*, c. ix.

Joannes Leonardus Gerosius Romæ in Campo Martio partim propriis sumptibus, partim emendicata elemosyna, templum edificavit, quod *templum Mariæ de amore* nuncupabat, cui etiam domum adjunxit, in qua ex omnibus nationibus congregati pauperes juvenes sub tutela Mariæ educabantur. PISTOAT. l. c.

Maria invocanda.

S. Franciscus, cum per visionem in planitie multos Angelos et homines congregatos, binasque scalas, unam rubram, cui Christus insidebat, alteram candidam, cui B. Virgo imitebatur, vidisset, et ad priorem Fratres invitati ab eadem per Christum dejecti fuissent, ad alteram confugere jussi, facilem ad cælum aditum per B. Virginem repererunt. DAUBOULT. c. ii, tit. lx.

S. Dominicus dixit : Si omnes Sancti a nobis alieni essent, et ad preces nostras surdi forent, Mariam tamen semper nobis misericordie sinum aperituram. Hinc B. Alano dixit, jam pridem mundum periturum fuisse, nisi suis precibus iratum Numen ipsa placasset. PENNEQ. in *Isagog.* d. ii, n. 10.

S. Brigitta quondam dixit ipsa B. Virgo : Ego sum Regina cæli, ego Mater misericordie, ego justorum gaudium, et aditus peccatorum ad Deum. Nullus est adeo maledictus, qui, quando vivit, careat misericordia mea, quia propter me levius tentatur a Dæmonibus, quam alias tentaretur. Nullus est ita abjectus a Deo, nisi fuerit omnino maledictus, qui, si me invocaverit, non revertatur ad Deum, et habiturus sit misericordiam. Ego vocor ab omnibus Mater mise-

ricordie, et vere misericordia illius me misericordem fecit. Ideo miser erit, qui ad misericordem, cum possit, non accedit. Ibid.

Olim cuidam latroni converso, et monacho facto, in morbo adstitit Virgo sanctissima, blandeque, num eam nosset, interrogavit; cumque is nosse se eam negaret, subjecit illa : Ego sum misericordie Mater, tu bono esto animo, post triduum mecum eris. Quod cum ille Odoni Abbati suo indicasset, S. Præsul non aliter deinceps, quam Matrem misericordie, compellavit. *Pædag. Christian.* c. xxvi, p. II, §. 2.

S. Catharina Senensis ab ore ipsius æterni Patris hæc verba se accepisse testatur : Mariæ unigeniti Filii mei Genitricis gloriosæ concessum est a bonitate mea propter incarnati Verbi reverentiam, quod quicumque justus vel peccator recurrit ad eam cum devota reverentia, nullo modo decipietur, vel devorabitur ab infernali Dæmone. Tract. iv. *Dialog.* c. cxxxix.

S. Gertrudi B. Virgo quondam splendidissimo pallio cooperta apparuit, ad quam varie multumque deformes bestie accurerunt, seque sub ejus pallio absconderunt, quas omnes cum magna charitate excepit, blandeque pallio involvit. Cum vero ob hoc factam obstupesceret Gertrudis, significatum ei est, per bestias illas peccatores significari, quos omnes illa, si ad ipsam confugerint, non dispari affectu excipere consuevit. BLOSUS, in *Monili. spirit.* c. i.

Turonibus adolescens quidam graviter decumbens, et nequicquam de hæresi eju-randa admonitus, cum tandem persuaderi se scivisset, ut se B. Virgini commendaret, mox celestis luce perfusus, confessionem peregit, et ejurata hæresi, reliquis Sacramentis instructus, feliciter ex hac vita migravit. Ib. n. 7.

Theophilus, Adanensis Ecclesie in Cilicia Oeconomus, cum spe dignitatis suæ et gratiæ recuperandæ, Christum et Matrem ejus abjurasset, denique ope B. Virginis et veniam a Deo, et chirographum recepit, tamque pie et sancte vixit, ut etiam in Sanctorum catalogum referri promeruerit. Ibid. Qua de re merito S. Petrus Damianus sic loquitur : Quid tibi negabitur, cui negatum non est Theophilum de ipsis perditionis faucibus revocare? Infelicem animulam, totum illud, quod in te factum est, proprio characterе denegante, de luto fecis et miseria

sublevasti. Nihil tibi impossibile, cui possibile est, desperato in spem beatitudinis relevator. S. PETER. DAM. *de Nativ. B. Virg.*

Benedictus Goez, in ora Travancoirdis Indiæ Orientalis, inter Lusitanos miles corruptis moribus, subierat quodam die cum commilitone templum, preces fururus. Ubi cum ante dei parā imaginem genua flexit, primo animus ad contritionem inclinari sensit, subinde etiam Dei Matrem, ut veniam peccatorum Filio impetrare dignetur, ardentiori pietate obsecrare cœpit. Sub hæc videt ille, videt et sodalis, vident alii multi, cum ad spectaculum exciverant, ex puer; Jesu inter brachia Matris hærentis oculis lacrymas, sed colore lacteas, defluere, idque tam ubertim, ut multi strophia sua prodigioso hoc liquore imbuta asportarint; ipse vero Benedictus meliorem deinceps vitam cogitavit, et tandem Societati Jesu adscriptus, vitam suam inter sanctissimos labores pie exegerit. *Ann. Societ. 1583.*

Simili modo custodem templi factione Diaboli in furto deprehensum, et incarcerationum, a carcere et infamia liberavit, uti fuscus loco citato refertur. Ib. dist. ix. c. iv.

Religiosus quidam in agone duos videns Dæmones horribili specie adstantes, clamare cepit: Maledicta hora, in qua Religiosus sum factus! Sed mox B. Virgine adventiente, fugatis Dæmonibus serena facie dixit: Benedicta hora, qua Ordinem intravi, et benedicta Mater Christi, quam semper dilexi, et in qua fiduciam meam posui! S. ANTONIN. p. III. tit. xxiii. c. x.

Ferdinandus II, cum monachis S. Benedicti e monte Serrato in Austriam proficiscentibus, opatum in suburbio Viennensi locum concessisset ad monasterium erigendum, et tribunos militum opponeret, id monasterium posse hostibus pro munimento cedere, si Viennam obsideri contingeret, sapienter et pie respondit, nullum se tuenda civitati aptius propugnaculum, quam B. Virginis templum recognoscere, malleque Virgine in proximo coli, quam in urbe militum, securiorem quippe se sibi tutelam ab illa, quam ab hoc, polliceri. *Vita, c. 7.*

Anno Christi 590, cum lues pestilens in tota urbe Romana atrocissime sæviret, S. Gregorius, indicta publica supplicatione, B. Virginis imaginem manu S. Lucæ depictam circumferri jussit; quo facta Angelus in ære Antiphonam: *Regina cœli lætare, e'c.* suavissime canere sunt auditi, cui cum ipse

versum: *Ora pro nobis Deum*, subjecisset, sine mora Angelus in arce Adriani visus est vindicem gladium recondere, et pestis ubique conquievit. BAR. Anno. 590.

Idem beneficium in simili periculo urbi Valencenarum præstitit, dum ab inquinis pie invocata visibiliter apparuit, et Angelis juvantibus urbem filo circumdedit, et juxta illius directionem supplicationem publicam institui jussit; hac enim peracta, mox lues grassari desuit. *Pedag. Christian. p. II. c. xxvi, §. 2, n. 5.*

Hermannus Contractus, auctor antiphonæ *Salve Regina*; item Repertus Tutiensis Abbas, et B. Albertus Magnus, etsi rudi essent ingenio, ope tamen B. V. inusitatam rerum divinarum æque ac humanarum scientiam sunt adepti. Ib. n. 3.

Urbs Valencenarum peste, anno 1008, tam graviter laborabat, ut paucis diebus, haud multo minus octo hominum millibus sublatis censerentur. Intercessere apud Dei Matrem Eremitæ ejusdam in sacello quodam ejus vulgo *de fontibus* dicto, preces. Cum enim B. Virgo hominem spe levanda civitatis recreatum, ad Comitem Hermannum civesque mississet, eosque pridie ejus diei, quo Divæ celebratur Nativitas, hoc est 7 Septembris, orationibus jussisset et jejunis vacare; visa est ipsa Dei Mater secundum noctem a plebisque civibus etiam ab ipsomet Comite, et urbis Primoribus, quos lux insolens, qua noctis tenebras in diem vertebat, in moenia exiverat, visa est, inquam, admirabili gloria illustris, comitantibus multis Angelis, aliisque Divis, urbem filo circumcingere. Cumque per eundem Eremitam iterum monuisset, ut cives ipso etiam festo in iisdem pietatis officiis perseverarent, adenderentque solemnem supplicationem, qua eos ductum circum urbem filum deduceret; id porro cum ingenti omnium ordinum studio et pietate peractum fuisset, extemplo evanuit omnis lues. Atque exinde in gratiarum actionem, atque perpetuam rei memoriam, decreta est isthæ anniversaria, quotannis eodem die 8 Septembris, supplicatio; collectum filum, et argentea theca inclusum, cum aliis sacris lipsanis asservandum, dedit etiam institutendæ in ejusdem Matris Virginis sospitatriæ sue honorem, Congregationis ab ipso filio nuncupate, occasionem. *Pedag. Christianus, p. I. c. xxv, §. 2.*

Civis quidam Alexandrinus, vir Christianus et pius, cum conjugæ pari pietate fe-

mina, et sexenni filiola, vitam misericordiæ operibus, jejunisque spectabilem ducebat. Huic mercimonii causa Constantinopolim proficiscendum erat; jamque navim condescenderat, quando, dicto vale, uxor; Cui me, inquit, filiulamque tuam, mi conjux, commendatas relinquis? Magnæ Dei Matri, Dominae nostræ ter optime, respondit ille, ei vos totas commendo, tradeque. Accepta hæc marito appreciatione domum rediit, et pro more pietati et operibus domesticis vacare instituit. Manserat domi abeuntis viri voluntate famulus, cui post aliquot dies, Dæmonis suggestione, atrox in mentem venit facinus, dum heram ille cum filia de medio tollere cogitat, quo spoliare domum liberius, et heri divitiis potiri, dein fugere tutius possit. Igitur armatus cultro, miser ad cubile, in quo cum filia mater secunda animi domestico incumbat operi, propius accedit; verum tanta subito cæcitate percutitur, ut nec cubitis ostium pertentare ullo modo, nec ad culinam retrogredi posset, sed nec, quo se verteret, inveniret, tandem elata voce, heram, ut foras ad se veniret, rogat. Mulier contra: Quin tu potius, inquit, ad nos ingrederis, qui ostium in manu habes? Cumque ille iterum iterum clamasset, ut vel ipsa heras, vel saltem filia foras egrederetur, nihilque impetraret; verso in se furore, cultrum in suamet viscera adegit, ingentique edito clamore concidit. Hic tum mulier nihil sinistrum suspicata accurrens, servum in suo sanguine natantem invenit, cumque horroris et stuporis plena, quid in eo casu faciendum, ignoraret, clamore vicinos advocat, excitatusque rumore Magistratus mox adest, cui coram intermortuis verbis fassus est famulus, quid in heram machinatus fuisset, nisi immissa divinitus cæcitate fuisset impeditus. Ita securus ille vivit, qui sub Dei Matri protectione vivit. JOAN. MOSCRUS, in *Prat. Spir.* c. lxxv.

Anno 1612, Gandiæ finitimo in oppido contigit, quod animi æquitatem in ferendis contumelis, et pietatem in colenda Dei Matre, vehementer commendat. Mulieri pudicæ ac pie petulans mulier objecerat in jurgio per summam calumniam, quotquot haberet liberos, omnes ex adulterio suscepisse. Eam tam frequentem stupri labem uxori objectam vir cum accepisset, seu ratus veram, seu veritatem, ne pro vera publice haberetur, animo destinat atrox de conjugæ supplicium. Omnium itaque doli securam, et in complexu

tenelle proles alto somno demersam, nocte intempesta, deturbat de cubili, atque in proximum hortum vi abreptam, laqueo faucibus inserto, erigit sublimem ad ramos obvias arboris, unde mox superne astricta veste strangulanda deiecit. Commodè acciderat, ut pridie acerbo illo appetita convitio proba mulier injuriam Beate Virginis, quam impense colebat, totam permitteret, nullius rei de cetero anxia. Causam innocentis cupide suscepit Dei parens, et quidem in tempore. Nam se dejectam ex arbore allevari occultam manu sensit infelix mulier, ut ne sua mole restem adstringeret, quo præfocaretur; quæ deinde rupto jam fure, ut novacula succisum crederes, certo exitio absolvitur. Hoc periculo defunctam miseram, rabie percitus conjux in editum collem rapit, et magno nisu impulsam, in præruptas rupes precipitem dare conatur, sed irritò eventu, cum prævalide impulsam, ne vestigio quidem ipso decederet, eam scilicet firmante Mariæ manu, quam sensit invocabat. Collectis viribus, alioqui eximia membrorum firmitate homo, iterum tertio et quarto etiam deturbare in subjectas cautes magno impetu destitit; sed Caucasum diceres furentibus Austrorum flatibus sua mole obtentem. Nihil hic defuit, quo aperta Numinis presentia feminaeque innocentia probaretur, quæ a scelere furentem hominem averteret. Ille contra geminum parricidium tertio parricidio, desperatione actus, cumulare pergit, conjugem pene exanimem de collis jugo domum detrahit, in lectulo eam se componere jubet, plumbea glante mox transverberandam. Igitur in ferream majoris modi fistulam, sulphurato pulvere ac plumbeis suffertam glandibus, ignita recte flamma injicit, lethalis plumbi globos in pectus uxoris, Mariam implorantis, explosurus; semel, iterum, tertio adducta in subjectum pulverem ignita machinula flammam non eleuit ex sulphurato fomite, ut ignis in glaciem, sulphur in gelidam aquam degenerasse putaretur. Cedit quidem innocentia, ac in primis Numini, vis flammarum ac ferri, non tamen se frangit parricidæ contumacia. Vitio catapultæ adscribit, quod ignem non conceperit sulphureos fomes; alteram expetit multum flammæ concepturam. Excussus quidem est ingenti fragore, ac in sinum pavida mulieris summo impetu delatus globus, sed quasi laneus esset, ictu penitus inanis. Tertii jam parricidii reo, hic demum subit cogitatio

irati in se Numinis, ob toties violatam uxoris innocentiam. Supplex igitur ad ejus se subjicit pedes, veniam flagitat, et facile a mitissima femina impetrat. Illa beneficii memor vota quaedam in omnem vitam Magnæ Matri nuncupat, ac se totam illius servituti proficitur addictam fore. Vir ejus postridie nostrum adit Sacerdotem, quem, narrata prodigiosi casus historia, reconci-liando sibi Numini adhibuit internuntium. *Pædag.* l. c. n. 10.

Circa annum Christi 1212, ipse Demon sacris adactus exorcismis, fassus est, mundum ab irato vindice Deo interitum fuisse, nisi Diva Virgo Mater (cujus statua, sub idem tempus, in quodam Germaniæ templo, multo sudore, spectantibus omnibus ac strophis sudorem excipientibus multis, defluebat) supplex intervenisset. *CÆSAR.* l. VII, c. II.

Infans olim adhuc in enis, nondum ad loquendum idoneus, singulari prodigio, his verbis matrem compellavit: Vidi, inquit, mea mater, Christum Judicem regali solio sublimem et mutuendum; cui supplex accessit Sanctissima ejus Mater, rogavitque, ne supremum illum mundi diem, quo minabatur, esse vellet. Ita dixit puer, et obmutuit, nec deinceps ante est locutus, quam per ætatem didicit. *Pædag.* l. c. § 3, n. 3.

Meminit Cæsarius de Wilhelmo, quodam de Claravalle Religioso, a divinis revelationibus celebri, qui in raptu mentis viderit Christum, qui justa in mundum ira accensus jusserit Angelum, qui ad Tribunal propius astabat, tuba clangere, quo sono totus orbis non secus ac folium in arbore contremuerit. Et cum etiam secundo id esset, urgente Dei imperio, facturus, ac mundum eversurus, unam Divam Matrem ex omnibus Sanctis ausam se interponere, atque ad Filii pedes provolutam, Judicem Filium rogasse, ut misero et usquequaque reo liceret, etiam illa vice dilato judicio procrastinari; atque Ordinem suum Cisterciensem, in spem emendationis, vadem obtulisse. *CÆSAR.* l. XII, c. LII.

Vidit olim secundum somnum F. Leo, S. Franciscus Assisinati intimus, in patenti campo binas a solo ad cœlum assurgentes scalas, unam rubream, qua insistebat Christus, albam aliam, qua Christi Mater Maria. Adfuit Sanctus Franciscus, et ex infinita hominum multitudine, Angelicæ tubæ sono ad Judicium illiuc evocata, Fratres suos sollicitè hortatus est, ut per scalam rubram as-

scendere festinarent ad Christum; ergo scanditur non indiligenter. Verum plerique ex altero, aut tertio gradu, quidam ex decimo, nonnulli ex scalæ medio delapsi, Franciscum habere sollicitum, qui ad Christum conversus Fratrum suorum causam acturus, vidit manus recenti sanguine perfusas cum latere exhibentem, querentemque id a Fratribus ejus sibi factum. Quid hic ageret Franciscus? Nimirum ad albam scalam, cui misericordiæ Mater præerat, conversus, isthac suos fidenter ascendere jubet; quod faciunt omnes nulla difficultate, atque a benignissima Matre blande excepti, subeunt æternæ beatitudinis superna palatia, nos hoc suo exemplo erudientes, ut declinato tantisper divinæ justitiæ, quam rubra scala denotat, metuendo rigore, discamus ad Mariam, et ad candidam misericordiæ illius scalam confugere. *Chronic. Minorum.*, p. I, l. II, c. LIII.

In Diocesi Conimbriensi non procul a Monasterio Ordinis Cisterciensis, Lorban dicto, Sacellum est B. Virginis de Cœca dictum; cujus origo est plane prodigiosa. Quo tempore Mauri occuparunt Hispaniam, non deerant loca, in quibus exercitum Catholicæ Religionis erat Christianis concessum, si tributum inde darent. Ex eo numero fuit Lorban monasterium pervetustum, et fundatum in tempore S. Benedicti, ubi plures in pio religiosoque secessu degebant. Inter alios, qui mundo valedixere, fuit Princeps Joannes, avunculus Alphonsi et Ramiri Regum Legionensium, qui ante susceptum id vitæ sanctioris genus militiam secutus, egregias victorias reportavit. Post aliquantum temporis, cum esset monasterii Abbas, Rex Alphonsus, ejus nepos Principatum ei donavit Montis Majoris, tam pro Religiosorum sustentatione, quam militum, quos alere necesse fuit ad eum locum tam munim, et necessarium tuendum. Sed Demon invidens tam piis ejus conatibus cepit militare in eo spiritus resuscitare, occasione usus cujusdam perfdi, qui factus Christianus in Monte Majori, et humanissime a Joanne Abbate habitus, transfugit tamen ad Alderamnen Saracenum, qui se Regem Cordubæ dicebat. Ab eo manipulum seu cohortem militum obtinuit, ad invadendum Montem Majorem, cujus omnes meatus norat, et ubi tunc Abbas Joannes versabatur. Apostata pluribus præliis victus, statuit sedem fame urgere, eoque necessitatis incolas adegit, ut despe-

rata et inaudita consilia susciperent. Stauerunt enim feminas omnes ac parvulos liberos occidere in munitione presentes, ut ea ratione illos a tyrannide Saracenorum liberarent, idque alia tyrannide sunt executi. Abbas ipse fuit coactus occidere unam sororem cum parvulis nepotibus, quos secum habebat. Ita rabie pleni urbe sunt egressi in hostem, vincturi; quos ita sunt persecuti, ut cædendis iis fatigati deficerent. Ea nocte in campis mansere, partim ut prædam aggregarent, partim ut suam infelicitatem deplorarent ac crudelitatem qua se in suos passi sunt, abriperent. Ingruente die duo equites ad eos contendunt, hilaritate pleni, et eis propinquantes nuntiant, Dei beneficio vitam vivere, omnes, quibus ante discessum jugulum præciderunt. Nemo omnium credere prius volebat, quam oculis coram cernerent. Sed ut agnoverunt eos, quos occiderant, ac viderunt singulos circa collum habere rubram lineam, eo loco, ubi istum acceperat, tristitia in gaudium versa est, et omnia laude et gratiis adversus tam piæ Numen personabant, etsi ante suum discessum post patratam suorum eadem optima queque sua coneremassent. Abbas agnoscent tantum Dei manus a B. Virgine profectam, cui erat admodum devotus, et mille aliis omnibus obstrictus, Sacellum eodem loco struxit, ubi equites duo eos nuntio tam læto exhilararunt, addidit parvum eremitorium, ut illie se totum Deo et B. Virgini consecraret. Tunc curavit sculpti e ligno statuum Beatæ Virginis cum linea rubra, in collo, ad ejus facti et prodigii memoriam, etsi auctores alii asserant, eam imaginem e celo ea forma missam. Ubi eum sancte aliquot annis vixisset, mortuus, inibi sepultus est; nec cadaver ulla vi trahi ad monasterium Lorban potuit. *POPEUS in trip. Cor.* tr. II, c. XXII, n. 20.

Gunteramus, Rex Gallie, cum sexaginta millibus in Recharedum movit Hispaniæ Regem, qui tamen ea sexaginta millia trecentis tantum suis militibus, ope B. Virginis, in fugam vertit, et maximam eorum partem gladio occidit. Gunteramus reversus domum eam cladem sceleribus militum et duorum conventiæ tribuit, ut habet S. Gregor. Tur. Duces igitur in presentia quatuor Episcoporum, et in corona majorum natu Laicorum discurrere, et oburgare cepit. «Qualiter, inquit, nos hoc tempore victoriam obtinere non possumus, qui ea, quæ

Patres nostri consecuti sunt, non custodimus? Illi vero ædificantes Ecclesias, in Deum spem omnem ponentes, Martyres honorantes, Sacerdotes venerantes, victoriam obtinuerunt etc. Nos vero non solum Deum non metimus, verum etiam ejus sacra vastamus, Ministros interficimus, ipsa quoque Sanctorum pignora ut ridicula disceperimus ac vastamus; non enim potest victoria obtineri, ubi patrantur talia. Ideo manus nostræ sunt invalidæ, ensis tepeceit, nec clypeus nos, ut erat solitus, defendit, etc.» At duces, se excusarunt, questi populi impietatem et insolentiam: Nullus, inquit, Regem metuit, nullus duces, nullus Comitem reveretur, et si fortasse aliquis ea emendare conatur, statim seditione in populo, statim tumultus oritur. *EOSEB. NIEREMBERG. in Troph. Mar.* l. II, c. XCIX.

Henricus V, Rex Angliæ, insignem victoriam de Gallis retulit ope B. Virginis, cui fuit addictissimus. Centum quinquaginta millia pagnatorum habebat Gallus, ita ut Anglos sextuplo excederet; jam victoriam cecinerant Gallus, jactabantque se Regem Angliam jam inclusum habere, nuntiosque ad civitates mittebant, ut sibi gratularentur; ad Henricum etiam mittunt, qui quærat, quanti se vellet redimere. Eum ferunt, respondisse: Intra binas aut ternas horas ita usu venturum, ut potius Gallis, quam Anglis, de redemptione sit cogitandum. Id etiam proditur; tota nocte, qua prælium antecessit, Gallos variis musicis instrumentis amicos suos oblectasse, quasi more cygnorum lessum sibi canerent. Interim neque a stupris, neque a cædibus et sacrilegiis abstinuerant. Porro Henricus suis jubet, ut die pugnae omnes orando se ad Deum converterent, et præmissa confessione SS. Eucharistiam sumerent, ac B. Virginis opem implorarent. Factum id a singulis, et prælium eo alacris susceptum, Gallorum decem millia cæsa, reliqui profligati, et partim intercepti sunt. Areturus vero, Rex Angliæ, ope B. Virginis victor Saxonum solus sua manu in uno prælio octingentos quadraginta duos gladio interfecit. *Idem.* l. III, c. x.

Martinus Fernandez Pinnerius, cum quinquaginta suis a 400 Mauris subito oppressus suos timentes animavit, et post opem B. Virginis imploratam suos allocutus: «Antesignanus meus et tubicen sufficient ad centum, ego ad ducentos, reliqui ad cæteros, et auxilium B. Virginis ad omnes; sequi-

mini me ! » Et ita feliciter eos profligavit, nemine suorum lasso. EUSEB. NIEMBERG. in *Troph. Mor.* l. II, c. LVIII.

Cum Bononia, tunc schismaticorum adversus Julium II, Pontificem, presidium, a Prorege Neapolitano Raymundo Cardona obsideretur, accidit, ut e quodam cuniculo violentia pulveris pyrii templum B. Virginis de Baracano dictum, totum in sublime jactaretur. Mirum dictu ! excussum ita, libratumque in altum templum, decidit integrum et illaesum in eadem cœmentâ, ex quibus fuit evulsus, absque ulla scissura et rimula, quæ convulsionis posset signum esse. Hoc miraculum sufficit, ut Bononienses se dederent. Idem, l. II, c. LXII.

Rex Angliæ, anno 1583, in Lusitanos exercitum duxit duodecies centenis millibus constantem, quem tamen ope Dei et B. Virginis Lusitani trecenti superarunt; auxilium autem Æthiopes triginta millia se adjunxere. His pugnantibus interea P. Balthasar Barreira oravit, quo remittente cum bellum et successus apud Lusitanos langueret, monitus iterum oravit, dum consummata fuit victoria. Idem, l. VI, c. LXXX.

Cyprianus, Christi Martyr et totius Africæ lumen, cum a fide Christi adhuc alienus ac rebus magicis omnino deditus esset, amore Christianæ virginis exarsit, et in illius expugnanda pudicitia plurimum laborans, ut cæcus et insanus est amor, etiam Dæmonem sibi adiutorem ascivit. Virgo etsi turpem ejusmodi amorem detestaretur, (Christo enim Sponso se totam consecerat) tamen præsentis Satanæ technas et ardentes libidinis faces non potuit non persentiscere, multum his ac graviter exagitata. Proinde, ut par erat, ad pudicitiam suam custodem et tutorem se convertit. Simulque Mariam castissimam et clarissimum virginum deus supplex obsecravit, ut sibi periclitanti auxilium ferret, corpus interim jejuno atque humi cubitatione, quæ sunt continentie arma, castigans, ut in hoc certamine hostem impurum vinceret potius quam vinceretur. Quid multis ! non irrita fuit Mariæ invocatio, per quam propitiis afflictæ virginis adfuit Deus, ut et hostis devictus abscederet, et Cyprianus a stulto amore Christianæ Sapientie non modo discipulus, sed etiam, sicut Augustinus eum vocat, Doctor suavissimus et Martyr beatissimus efficeretur. S. GREGOR. NAZ. oratione in laudem Cypriani Martyris.

Maria veneranda.

Dies ipsi sacros pie transigendo.

Eremita quidam nocte Nativitatem Virginis præcedente, singulis annis harmoniam audiens, rogavit Deum, ut, quid ea protenderet significaret? Cui Angelus apparetur dixit: Virginem quæ Deum genuit, hæc nocte natam esse, ideoque ab Angelis saltem, cum eo tempore homines id nondum agnoscerent, celebrari. VINC. BELLOYAC. in *Spec.* l. VI, c. LXVI.

Cum S. Gertrudis scire cuperet, quonam obsequii genere in festo Annuntiationis B. Virginem honorare maxime posset hæc eidem apparetur dixit: Si quis per octavam quotidie 43 Ave cum devotione recitaret in memoriam illorum dierum, quibus Christus in utero ejus crevit, hunc tam gratum famulum ipsi exhibiturum, ac si eo die, quo filium concepit, adstitisset, et per singulos dies usque ad partum diligentissima ipsi obsequia præstitisset. L. IV *Rev.* c. XII.

Cum Sinenses prius suis puerperis pretiosissima quæque dona offerre consueverant, postea ad fidem Catholicam conversi, nullum festum B. Virginis transire permiserunt, quin eidem quoque dona spiritualia operum honorum et precum copiose offerrent. PORTEUS, tr. IV, c. VIII, n. 15.

S. Gertrudis in festo Assumptionis, dum officio divino interest, et Sacerdos in oratione canit, ut sua nos defensione munitos, jucundos faciat suo interesse festivitati; vidit B. Virginem suo pallio innumeram virginum multitudinem involvere, eique singularia amoris argumenta exhibere, simulque intellexit, has virgines esse animas devotas, quas ad festum hoc peculiari studio celebrandum ipsa excitavit. L. IV *Rev.* c. XLIX.

In monte Serrato septem pueri, dum pecora pascent, singulis diebus sabbatinis sub noctem intendentes se tenebris, ingenia cœlo delabi lumina, et certæ montis speluncæ imminere, suavisimumque ex eadem spelunca edi concentum audiverunt. Quod cum Episcopo retulissent, is cum magno comitatu accedens ad speluncam proximo sabbato eadem expertus, et speluncam ingressus, B. Virginis statuum invenit, quam cum asportare jussisset, ii autem, qui portabant, ad certum locum progressi pergere

non possent, ibidem templum B. Virginis edificatum est. MIEKOV. d. CCXXVI, n. 9.

Constantinopoli imago quædam velo obducta, singulis feriis sextis post vespas, nullo manum admovente, detecta est, iterumque die sabbati post vespas cooperta. lb. n. 12.

S. Arsenius totum sabbati diem quieti spiritus dabat, et accuratum de singulis hebdomadæ actionibus examen instituebat, et quid bonis horis addi, quid malis detrahi posset, dispiciebat. JOAN. NADASI, in *anno Mar.* p. I, sabb. II.

Frequenter salutando.

S. Catharina Senensis, quinque annos nata, quoties domus paternæ scalam ascendebat vel descendebat, ad singulos gradus salutationem Anglicam recitabat. CAPUANUS, in *Vita.*

B. Alanus de Rupe semper in ore salutationem Anglicam habebat, sive ambularet, sive loqueretur, sive prædicaret. Et quæcumque aliquid vel pronuntiare, vel dicere vellet, prius semper flexis genibus per salutationem Anglicam patrocinium B. Virginis invocabat. MIEKOV. disc. CXVI, n. 16.

Virgo quædam devota post mortem apparetur sorori cuidam, dixit: Si possem redire ad corpus, et unum duntaxat Ave Maria dicere, tametsi magna devotione, ego propter meritum illius vellem tantum rursus sustinere cruciatum, quantum ante mortem perperâ. ALANUS, l. de *Psalt.* c. LXIX.

S. Franciscus Seraphicus mira devotione erga hanc salutationem ferebatur, dicere solitus: Cum dico: Ave Maria, cœli rident, Angeli gaudent, mundus exultat, infernus contremiscit, Dæmones fugiunt. Sicut cera fluit a facie ignis, et pulvis ante faciem venti dispergitur; sic ad invocationem nominis Mariæ totus malignorum spirituum exercitus separatur. lbid. p. III, sab. XXVII.

Christus ipse, apud S. Brigittam, suavit, ut is, qui subito motu cholæræ subinde durius alteri loquitur, is pro impetranda a Deo venia semel Ave Maria recitet. *Rev.* extra c. LXX.

Martinus Guttrich famulus hereticus, cum in concione Forneri, suffraganei Bambergensis, audivisset, perire non posse, quisquis Dei Matrem pie coleret, et aliquot quotidie salutationes precando offerret, cepit et ipse quotidie septies mane et vespere eam recitare. Id ubi per tres annos continuavit, in

ipso immaculatæ Conceptionis festo morbo correptus B. Virginem spectabilem habuit, quæ ad Sacramenta more Catholico suscipienda hortata, rediturum se die et hora, quæ Filium suum genuerat, promisit, secumque in cœlum ducturam. *Pædagog. Christ.* p. II, c. XXVI, § 4, n. 9.

B. Albertus in cœnobio Crespiano monasticam vitam professus, centies quotidie precumbens, verba divinæ ad Deiparam legationis iterabat. SUAVIS, 7 April.

B. Catharina, S. Brigittæ filia, quotidie quatuor horas recitendis genibus, et Anglicæ salutationis recitandæ, multis perflus lacrymis, impendebat. Idem, 24 Mart.

Fidem superat, quod de B. Maria OEGniacensi proditum est. Visa est illa sæpe spatio horarum viginti quatuor in Deiparæ honorem centies supra millia ita genua flectere, ut id sexcenties sine interruptione faceret, subdens interim toties salutationem Anglicam. Post hæc addebat psalterium Regii Vatis 150 Psalmorum, subnectens singulis psalmis singulas genuflexiones, totidemque Ave Maria. Deinde trecentis dorsum icibus non sine sanguine flagello multans, Ave Maria totidem Virgini Matri recitabat. Tandem flectens genua quinquagies, ac toties recitans Ave Maria, sum Mariæ cultus exercitum et stas mille et centum genuflexiones clauderet, ac sæpe ab hoc exercitio ad dies 40 non recedebat. Idem, tom. III.

Miles quidam veteranus Cisterciensium ingressus Ordinem, cum ob ingenii hebetudinem orationem Dominicam addiscere non posset, salutationis Anglicæ quatuor prima verba, Ave Maria, gratia plena toties ac tanto studio, vel inter comedendum, et animo et ore volvit revolvitque, ut tandem memoria teneret firmiter, nec haberet deinceps, quod jucundius salutatione ista, quodque Matris Christi reoordatione gratius frequentiusque, et animo, et ore usurparet. Quam porro gratum Deo Divaque Matri hoc fuerit obsequium, testata est post ejus obitum peregrina arbor, quæ de ejus sepulchro enata in singulis suis foliis hæc eadem verba, Ave Maria, gratia plena, aureis expressa litteris cuius legenda exhibuit, usque dum effossa circum humo per loci Episcopum comperere, ex boni istius Religiosi ore prodigiosam arborem propagatam; eo autem cognito, tamquam munere suo functa, arbor spectantibus et mirantibus cunctis exaruit. CANTIFF. l. II *Apam* c. XXIX.

Hæc oratione mulier filiolum a Matre Virginie, mortis periculo subductum, recuperavit; cum enim audisset minorem ex duobus filiis, quos mane ad scholam miserat, de ponte, qua transeundum erat, in profluentem decidisse, nec retrahi omnino aut servari potuisse, accedit ad Deiparæ imaginem ad quam filioi ex ejus institutione semper Coronam Virginis, antequam domo egredirentur, recitare solebant; ad hanc igitur imaginem accurrit, et filium commendat, recitato semel *Ave Maria*; tum surgens ad querendum filium pergit, et ecce videt occurrentem salvum et incolumem, qui se ab ea aquis extractum aiebat, ante cujus imaginem mane Coronam recitasset. *Ex Chron. S. Franc.*

Eadem salutatione sæpe Dæmon, qui quosdam etiam visibili specie infestos habebat, fugatus profligatusque est. Testis ista puella apud Cesarium, quam hostis ille, cum ab ingressu Religionis operis machinationibus avertere non posset, ac die quodam arreptam de editori loco præcipitatum iret, illa vero interim Mariam consueta salutatione invocaret, dimittere est coactus; atque hæc verba immurmurans: Si in hac hora mulierem illum non invocasses, occidisset te! ipse se per fenestram atrii canis forma dedit præcipitem. Qua arte etiam deinceps ab eadem jam Religiosa non raro fugatus est. *CÆSARIUS, l. V, c. XXIV.*

P. Joannes Eusebius Nierembergius in vita S. P. N. Ignatii meminit ejusdam in Hispania hominis, qui in omni flagitiorum genere criminumque, præter hæresim ad seram usque ætatem volutatus, eo perversitatis devenerat, ut nonnumquam in ipsum Deum odio exardescens, id etiam studiose ageret, quod illi quam maxime crederet displicere; ad summum tam nulla in eo inerat salutis cura, ut non modo numquam de bona peccatorum confessione bene instituenda cogitaret, sed fugeret etiam, quidquid eo spectaret, aut officio ullo modo monere posset, factus totus Diaboli mancipium et devotum caput. Homini ergo in eo versanti statu, nocte quadam, cum æger decumberet, et fugeret eum somnus, adfuit cœli Regina, sed mox, cum oculos tantum admirabili plenos modestia, hominem iste totam præteritæ vitæ rationem ita clare distincteque perspexit, ut ex

peccatis, et numero, et gravitate pene infinitis, nullum non mentis oculos perstringens, ingentem et animo dolorem, et oculis profusum cieret lacrymarum. Et ut ob tantam vitæ turpitudinem confusione oppleretur incredibili, non ideo tamen despondebat animo, sed si valetudo et nox instantem non impediret, proliisisset, et curriculo ad Sacerdotem advolasset, peccata omnia in aures ejus ac sinum depositurus. Nec fuit, orto die, ulla mora, Sacerdotem e Societate Jesu accersendum rogat instantissime; et commodum mittitur R. P. Eusebius, qui hæc scribit, cui ille totam vitam tanta evoluit exactitudine, distinctione et claritate, quantum nemo Theologorum, post multorum annorum discussionem meliorem afferre potuisset. Tenuit hæc boni viri peccatorum tot et tantorum accusatio tres omnino horas, et non amplius, et absolutionis beneficium accepit a Sacerdote mirante pœnitentis sui, et tam insolens in cognoscendis distinguendisque peccatis lumen, et tantum in detestandis iisdem, cum veri doloris significatione, studium. His ita feliciter peractis addidit verus pœnitens votum, si Deus vitam prorogaret, eam Deo, in statu aliquo religioso, consecrandi; sed tamen melius illi securiusque fore de incerta hæc et instabili ad certam et æternam melioris vitæ transire stationem; quod ut sibi a Deo concederetur, Patrem illum vehementissime rogavit, et vere impetravit, siquidem intra dies quinque ad vitæ metam pervenit, postquam omnibus Sanctæ Ecclesie Sacramentis probe munitus, breve, quod supererat, spatium continua quadam virtutum exercitatione et vere pietatis sensu exegit tanto, qui etiam adstantium cieret lacrymas. Petiit subinde ab eo Pater, num qua aliquando in vita Dei Matrem pietate coluisset; non alia, respondit, quam quod semel quotidie Salutationem Angelicam in honorem illius recitasset. Tum et ille Patrem rogavit, ut tam singularis Dei Matris in se beneficii præco apud omnes esse vellet, facta potestate, omnia que ab se audiisset, ad Dei Virginisque Deiparæ gloriam evulgandi. *NIEREMBERG, in Vita S. Ign.*

Maria Veneranda.

Rosarium et coronas recitando.

Aloysius Albanensis, ex Ordine Minorum novitius, a Gabriele, Anconitani monasterii

Guardiano, singulis diebus coronam, antequam ederet aliquid, recitare jussus, cum aliquando aliis occupatus, pensi sui immemor ad mensam venisset, a Superiore interrogatus, et de oblivione increpitus, ad templum, ut debitum exsolveret, missus est. Ibi bonus ille, flexis ante aram maximam genibus, coronam suam persolvere instituit, quod dum facit, visus est tum ab iis, quos Superior observatum miserat, tum ab ipsomet Superiore, qui ad rei miraculum commonitus accurrerat; visus est, inquam, Angelus orantis superne capiti imminens, qui filo aureo rosas liliaque, quæ de istius ore fluebant, ita inerebat, ut post singulas rosarum decades, singula lilia succederent, quæ deinde omnibus in corollæ modum innexa adolescentis capiti imposuit, et avolvit. Et ne quis vanam hic aliquam phantasiæ illusionem intervenisse crederet, mirus, et perquam suavis, ac bene diuturnus afflatus est ex eodem, ubi ille oraverat, loco rosarum ac liliorum odor. Ipseque adeo novitius multis deinceps a Deipara favoribus emulatus, ad mortem usque in copta pietate perseveravit. *In Chron. Minor. p. III, l. I, c. XXXVI.*

Cum S. Gertrudis hoc pium solitumque 150 salutationum Angelicarum pensum semel ob capitis dolorem persolvere non posset, atque ejus loco solum hæc duo verba, *Ave Maria*, pari numero recitasset, vidit, sub hujus orationis finem ipsam Sanctissimam Virginem manu coronam pulcherrimis contextam rosis pretendentem, factæ orationis præmium; simulque audiit dicentem, non minus hoc ex legitima causa deurtatum rosarium gratum fuisse, quam quæ alias integrum obtulisset, hoc ipsum utique oblatura, ni capitis dolor vetuisset. *Lib. IV, Revel.*

Marianum sertum seu Psalterium ad instantiam avunculæ recitans corruptissimæ vitæ juvenis, mirabiliter primum conversus est; subinde vero mirabilibus ipso nuptiarum die, dum ad pensum ordinarium persolverendum in cubiculum secedit, ab eadem spectabili ad cœlestes nuptias invitatus, eodem adhuc die ægrotare cepit, et post triduum mortuus est. *CANTIRA. l. II Apum c. XXIX, p. 9.*

Eques quidam, nomine Alanus, quotidie flexis genibus Rosarium recitare solitus, cum ab ingenti hæreticorum multitudine circumdatus morti jam proximus esset, B. Virgo visa est 150 lapides in hostes jacere,

maxima eorum strage, sicut salvas Alanus et victor evasit. Alias Jerosolymam navigans, vidit 150 monticulos, per quos e naufragio salvus in continentem descendit. Unde in patriam reversus, mox monasterium Religiosis S. Dominici extruxit, ipseque etiam ingressus, minici prædicator Rosarii effectus est, ita ut ob hanc causam post mortem ejus manus et os, velut instrumenta Rosarii recitati, incorrupta sint reperta. *Chron. VIII, Dominic. p. II, c. XXXIV.*

E viris tribus peregre profectis, atque in silva quadam errantibus, duo, qui tertium aliquanto spatio præcesserant, in latrones incurrerunt, et ab iisdem rebus sunt ac vita spoliati; venit interim et posterior ad insidiarum locum periculi ignarus, impetruit, cecidit non admodum repugnanter, mors intentatur; non recusat mori, sed moram tantillum rogat et impetrat, quo corollam Deiparæ Virgini duodecim salutationibus constantem percurrere breviter orando possit. Orat eque, et ecce ibi, adfuit exemplo in aereo sublimi throno solis instar renidens Dei Mater; adferre ei sanctæ virginis Catharina et Lucia, quarum bonus ille fuerat singulariter semper amans; B. Catharina a cœli Regina jussa est rosas, quæ de orantis ore, ad singulas quidem orationes Dominicas rubræ, ad salutationes vero Angelicas albæ prodibant, exceptas, B. Lucia dare, circulo aureo in coronæ modum filo argenteo circumligandas. Ita peracta hominis prece, extitit mira et pulchritudine, et odoris suavitate corona, quam Virgo Mater clientis sui capiti imposuit, et simul videri desit. Attonitis interim ad spectaculum sicariis, qui cum ab isto, omnium, que circum se facta essent, ignaro, seiscitati intellexissent, esse illam Mariani favoris in sibi devotos demonstrationem, ejus etiamnum pignus coronam in hominis capite cernebant, liberum viatorem dimiserunt, et pravam vitæ suæ rationem detestati, in alios viros mutati sunt. Is porro, qui Virginis ope functus periculo est, coronam de capite suo acceptam deosculatus, ter optime protectrici sue gratias egit, et ejusdem deinceps obsequiis futuris relicto modum vitam religiosam professus est. *In Pedag. Christian. p. II, c. XXV, § 4, n. 15, 18.*

Brugis pejeraverat mulier quedam, atque nocte sequenti ad stare sibi monstrum vidit informe et horrendum, quod dire infrendens: Intra sex, inquit, septimanas moriere,